

PETRI AVREOLI
VERBERII

ORDINIS MINORVM
ARCHIEPISCOPI AQVENSIS
S. R. E. CARDINALIS.

COMMENTARIORVM
IN SECVNDVM LIBRVM
SENTENTIARVM.

Tomus Secundus.



R O M A E,

Ex Typographia Aloyfij Zannetti. M D C V.

Sumptibus Societatis Bibliopolarum D. Thomæ Aquinatis de Vrbe.

SUPERIORVM PERMISSV.

DISTINCTIO XXV. DE SPECIALI CONSIDERATIONE HABENDA IN libero arbitrio.

Nunc ergo ad propositum redeamus, &c. Postquam Magister in præcedenti distinctione diuisit potentias animæ secundum quas concludit esse meritum, & demeritum in homine, ac secundum quas peccatum primi hominis extitit consummatum, nunc redit ad specialem considerationem habendam in libero arbitrio: quo primus homo peccauit, potuit libere stare, & libere vere in peccatum. & quia Magister dicit, quod potestas liberi arbitrij libera est ad vtrumlibet, quia libere potest moueri ad hoc vel ad illud; & quod dicitur liberum quantum ad voluntatem, quia potuit voluntarie moueri, & spontaneo appetitu ferri potest, ad ea quæ bona vel mala iudicat, ideo quæro ad euidentiā horum quæ hic dicuntur, duas Quæstiones:

Q V A E S T I O V N I C A.

1. Prima est, Vtrum aliqua res possit mouere se ipsam.

2. Secunda est: An voluntas moueatur ad volūnem a seipsa, vel ab alio obiecto,

A R T I C V L V S I.

Vtrum aliqua res possit mouere seipsam.



QUANTUM ad primū arguo primo, quod aliqua res potest mouere se ipsam, quia natura est principium motus, & quietis eius in quo est 2. phys. text. 3. ergo idem potest mouere se. Antecedens patet, probo consequentiā, quia

alias principium motus non esset in eo, quod mouetur, nec esset aliquid eius, quod falsum est, cum dicat ibi Philosophus, quod forma est natura.

Confirmo hoc per Commentatorem, qui dicit ibi, quod licet in motu alterationis idem non possit se mouere; in motu tamen locali idem mouet se, vt patet de animali, & graui mouente se ad centrum.

In oppositum est Philosophus 2. Metaph. 2. qui diffiniens potentiam transmutatiuam dicit, quod est principium agendi in alterum, in quantum alterum: sed omne quod mouet se, mouet se per

potentiam transmutatiuam: ergo motum in quantum motum est aliud à potentia, quæ mouetur.

Respondeo ad illam quæstionem, à multis dicuntur multa, sed dimissis multis modis dicendi pono propositiones, Prima est quod mouens & motum non oportet esse distincta subiecto, & loco: hanc pono propter quorundam opinionem, dicentium, quod non sufficit ad mouens, & motū quod sint distincta res essentialiter, sed oportet, quod sint distincta subiecto. Ex hoc principio deducit, quod intellectus non potest causari ab alio existente in intellectu subiectiue, sed necessario causatur à phantasmate. Similiter quod intellectus non mouet voluntatem & phantasma, ratio est, quia intellectus & voluntas sunt in eodem subiecto, non sic voluntas, & phantasma ratione organi.

Sed ista opinio non habet mentem in hoc Aristot. & Commentatoris, propter quorum tamen sententiam tenet illam conclusionem, & probo: Quod expresse sit contra mentem eorum, tam 8. Metaphysices, quàm 8. Phys. quàm 2. & 3. celi, 2. mundi. 8. Phil. tom. 27. com. 30. Philosophus dicit de motu animalis in loco, quod anima est mouens corpus, vbi dicit Comment. com. 30. quod non oportet quod mouens, & motum sint distincta subiecto; quandoque distincta per essentiam, & subiecto, quandoque autem per essentiam, non ex subiecto, sicut dicit de anima & corpore, & verba eius ibi sunt illa, cum declarauit, quod ea, quæ mouentur naturaliter &c. Sequitur infra, & abre-

abbreviatio eius est, quoniam illa quæ mouentur per principium in eis, necesse est, vt diuidantur secundum definitionem in motorem & motum, & vt non sit idem secundum definitionem & essentiam, motor enim debet esse distinctum a moto, aut secundum definitionem, & esse simul, idest secundum essentiam & substantiam, sicut est in his quæ mouentur ab extrinseco; aut secundum definitionem tantum, sicut est dispositio in habentibus animas, in quibus motus distinguitur a motore secundum definitionem, licet non secundum esse, quia impossibile est animam esse sine corpore. hæc ille. Et tamen ponit ibi propositionem istam a proposito, quod idem non mouet se, & quod non oporteat motorem & motum distinguere subiecto, ego probo ex hoc specialiter, quod omnes rationes, per quas probatur, quod idem realiter non potest se mouere, non tamen probat, quod idem subiecto non possit se mouere. Et prima quædam ratio est, quia si idem moueret se, esset idem in potentia & actu; patet quod non probat, nisi quod idem realiter non mouet se: Nam non est inconueniens, quod duæ res in eodem subiecto sint talia, quod vnum sit in actu, & reliquum in potentia.

Similiter ratio alia, quod relatio realis non est eiusdem ad se, non concludit, quia in eodem subiecto possunt esse duo, quorum vnum refertur ad alterum realiter: ratio est talis, quod agens est præstantius patiente, tantum concludit quod eadem res non agit & patitur. Sed formalis eorum ratio est, quia si mouens & motum possent esse eadem subiecto, tunc forma posset mouere materiam: Sed hanc rationem soluit Commentator ibi, quod forma non potest mouere, non quia sunt in eodem subiecto, sed quia oportet, quod motum sit res in actu, materia autem non est ens in actu.

Ad oppositum autem istius opinionis patet per experientiam, experimur enim quod forma aliqua recepta in materia, potest de illa materia educere aliam formam subiectiue in illa; sicut patet de radio existente subiectiue in aere, in quo tamen producit splendorem. Similiter principia & conclusiones sunt eodem subiecto, consimiliter habitus & actus, & tamen principia sunt causa conclusionis, & habitus causa actus.

Secunda propositio, quæ sequitur ex prima, est, quod idem potest se mouere per accidens; licet idem non possit se mouere per se: & primo ratio istius propositionis est, quia quando aliqua sunt eadem subiectiue, moto vno mouetur reliquum; ac per consequens, quod mouet per se, vnum per accidens, mouet reliquum, sed aliquid potest mouere aliquid, quod est idem cum eo in subiecto: ergo moto illo & ipsum mouetur, & per consequens moto illo per se mouet se per accidens, & hoc modo mouet anima se per accidens moto corpore.

Dicis, anima non mouet primo corpus, sed vna pars corporis mouet aliam, alias moueret corpus non organice.

Contra, alias dixi, quod hoc non est verum, dixi enim quod in corpore animalis, ubi pars mouet partem, musculi mouentur, & mouent alias partes, & est deuenire in motu musculi ad indi-

A uiduum, & tunc illud secundum Aristot. non potest mouere, nec moueri: Ideo dicit Aristot. lib. de causa motus animalium, quod punctus non potest esse primo motum, sed primo motum est calor naturalis in musculis, quo moto mouetur totus musculus, quo moto mouetur nervus, & deinde pars propinqua corporis, denique alia. de hoc tamen alias.

Tertia propositio est, quod non puto, quod simpliciter res aliqua posset se mouere primo & per se. Hanc propositionem probo rationibus aliquibus, primo sic. Motum & mouens per se, & primo sunt in opposita dispositione, ratio est, quia mouere est passum assimilare, mouens enim trahit passum ad se assimilando cum: vnde i. de generatione dicitur, quod agens & passum sunt in principio dissimilia, sed in fine sunt similia. Hinc est etiam quod passum resistit agenti, scilicet propter oppositas dispositiones, quæ sunt in eis, & ideo agens pro tanto dicitur assimilare, quia trahit ad similem dispositionem.

Tunc sic: si aliquid potest simul & per se, & primo esse in actu virtuali, & potentia formali, aut ex hoc non est in alia & alia, & opposita simul dispositione, & tunc non se habet, vt agens & patiens; si autem ex hoc est in opposita contradictione, habeo propositum, contradictio enim est, quod idem sit simul in oppositis dispositionibus. contradictio enim includitur in omni oppositione, formatur ergo sic ratio: Idem quo res agit, & quo res patitur, sunt in opposita dispositione: sed in eodem impossibile est quod res sit in opposita dispositione: ergo impossibile est, quod eadem res per se agat, & patiatur.

Secundo sic: De ratione agentis est quod assimiletur passo, alias non assimilaret sibi passum, trahendo cum ad se: sed impossibile est quod idem dominetur sibi, & trahat se ad se, & assimilet se sibi: ergo.

Tercio sic. Actus formalis, & potentia formalis opponuntur: ergo actus virtualis, & potentia formalis opponuntur: sed actus formalis, & potentia formalis ex hoc quod opponuntur, non possunt simul, nec esse idem in ipso formali, & actu formali: ergo propter eandem causam, idem non potest esse in actu virtuali, & potentia formali.

Antecedens istius rationis conceditur ab omnibus, consequentiam primo probo: Quia quando aliquid opponitur alteri, magis opponitur ei, in quo illud, cui opponitur, nobiliori modo continetur, quam sit in se: sed actus formalis nobiliori modo continetur in actu virtuali, quam in se, nobiliori enim modo actus virtualis habet actum formalem, quam si haberet eum formaliter: sed potentia formalis opponitur actui formali: ergo multo magis opponitur actui virtuali.

Confirmo hoc: Quia agens & patiens opposito modo aspicunt formalem terminum: cuius ratio est, quia illud quo aliquid patitur, & est in potentia ad formalem terminum, est in potentia in illo genere, & imperfectum in genere isto: agens autem est in genere illo perfectum: ergo verum est dicere, quod agens & patiens respiciunt terminum opposito modo: sed nulla eadem res potest aliquid idem respicere modo opposito: ergo alias vna & eadem realitas esset perfecta, & imper-

2. de generatione.

imperfecta in genere illo, ergo.

Quinto arguo sic, Nulla res est sibi ipsi esse, vt sic: sed si idem moueret, se idem esset sibi ipsi causa cauſandi, ergo. Vbi sciendum est, quod si forma fieret per se, non est dubium, quin agens attingere posset formam, non attingendo passum, sed secundum Philosophum forma non fit per se, sed compositum: tunc sic: Compositum fit per se, si ergo aliquid moueret se, sic aliquid quod per se includitur in motu, esset per se mouens, & illud motum, & sic idem esset per se agens, & per se inclusum, & per se terminus actionis: ergo idem per se est sibi ipsi causa, vt fit.

Et confirmatur, quia actus sicut non potest habere pro principio terminum per se actionis, quia tunc idem produceret se, & ageret se, sic non potest habere pro principio illud, quod per se includitur per se in termino actionis ex eadem causa. quod autem forma non fiat per se, sed compositum, patet 5. Metaphisices, & 12. per Philosophum, & Commentatorem, alias non posset evitari creatio. Propter quod dicit Commentator, quod agens non est produciens, sed extrahens; ratio autem quare materia per se non fit, quia non est res per se, siue natura aliqua in actu, sed tantummodo est complementum in actu, id est compositi.

Confirmo hanc ultimam propositionem argumento philosophico, quoniam mouere physice non est aliud, quam potentiam ad actum extrahere: Si ergo idem mouet se, ergo potentia extrahet se ad actum, sed agens est perfectionem largiens: Item idem largietur perfectionem sibi ipsi.

Sed contra istam propositionem ultimam sunt dubia quaedam. Et primum est illud dictum Philosophi. 8. Phys. 3. Quod illud, quod est in potentia essentiali, indiget motore extrinseco per se; illud autem, quod est in potentia aquali, non indiget motore extrinseco, sed per se ipsum potest exire ad actum.

Respondeo textus ille mouet multos ad putandum quod Aristoteles intellexerit, quod idem potest se mouere ad actum secundum, quod ego nego. Dico enim quod nihil se ipso potest exire, nec de potentia essentiali, nec de potentia accidentaliter ad actum, sic quod sit mouens primo & per se motum; licet bene mouens & motum possint esse in eodem subiecto, tamen impossibile est quod eodem reali sit agens & sit recipiens.

Tunc ad Philosophum dico, quod nec de potentia essentiali, nec de potentia accidentaliter, idem potest se extrahere ad actum, sed semper indiget alio extrahente; unde si est in potentia essentiali, indiget extrahente per se, & essentiali; si vero est in potentia accidentaliter, indiget extrahente accidentaliter, quod est proprium remouens prohibens, vt statim dicam de graui.

Aliud dubium est de graui, quod videtur, quod moueat se.

Respondeo si tenerem, quod graue moueret se, ego dicerem quod celum mouet se; nec video quare corpus caeleste non possit se mouere motu circulari, sicut graue mouetur per se motu recto. A quo ergo mouetur graue deorsum, non a generante, quia potest non esse; & tamen graue mouebitur. Et propterea Commentator videtur di-

A cere 8. Phys. & 3. cel. & mundi: quod graue mouet se per formam grauitatis.

Respondeo dico, vt Philosophus & Commentator 8. Physic. & 3. cel. & mundi, quod in motu graui est accipere duplicem motum, primus est essentialis, quo de non esse exit ad esse, & ille est a generante.

Alius vero motus est essentialis, & hic est a remouente prohibens, qualis est descensus deorsum, postquam accepit esse, hic enim descensus deorsum non oportet, quod sit elicitive a generante secundum eum.

Vbi considerandum est, quod illud, quod prohibet graue, ne sit in centro, est medium siue aer: Nam a moto eo statim esset in centro. Unde 8. Phys. dicit Philosophus, quod si esset vacuum, motus esset in eo in instanti: tunc ergo lapis siue graue mouendo aerem remouet prohibens, & sic mouet se; sicut mouet lapidem ille, qui amouet columnam, quae impediens lapidem a descensu. Lapis ergo mouet actiue, & prima motio passiuus est in aere, non in lapide, quia aer est primo motus, moto autem aere mouetur lapis, & hoc per accidens, ex hoc quod sunt vnum in situ. Exemplum huiusmodi est in nauis motu, ibi prima motio actiua per se est ipsius nauis, & prima passiuus per se nauis, & prima actiua per accidens est ipsius nauis, prima vero passiuus ipsius nauis, sic in proposito. Et hinc est, quod sicut ex nauis, & nauis integratur vnus motus totalis, & vnus totalis mouens, sic ex lapide & aere, vt lapis sit primum mouens per se, & ultimo motum per accidens, aer vero sit primum motum per se, medium vero motum per accidens; hoc modo motum essentialiter est ille aer, motum vero accidentaliter est ipse lapis, & illemet est mouens accidentaliter. Ratio est quia mouere accidentaliter non est aliud, quam prohibens remouere, prohibens autem erat ille aer: ergo lapis essentialiter mouet aerem: sed moto aere essentialiter, ex hoc accidentaliter mouet se, & hoc quia sunt vnum in situ, hoc modo essentialiter mouet corpus; moto vero corpore illud mouetur accidentaliter quia moto corpore, sicut Philosophus dicit, sic in proposito. Et ex hoc sequitur illud Philosophi 4. Physic. quod si aer medius non esset corpus, moueretur in medio in instanti. Et ratio est, quia lapis ad hoc quod motu continuo descendat deorsum, indiget medio; tamquam primo moto.

Sed dices quod illa solutio non sufficit, quoniam lapis si localiter mouet aerem, necessario primo mouet se. Respondeo ad hoc, quod assumptum est verum, & ratio est manifesta ex regula Philosophi, quam dat de moto & mouente, 8. Phys. & 5. Unde dicit, quod si aliqua virtus mouet magnitudinem in aliquo tempore, media portio illius virtutis mouebit medietatem illius magnitudinis virtutis mouentis ad totam magnitudinem: talis est proportio partis eius ad partes magnitudinis: ergo lapis est primum mouens se, ita quod sit primo mouens, & primum motum, sequitur quod si mola mouet se in vna die, sicut medietas mola, & mouens est media virtus mola mouens est, sic medietas mola vt est motum est media pars moti: motum ergo sicut tota mola virtus, vt mouens

8. Physic.

4. Physic.

8. Physic.
5. Physic.

Primum
dubium.

uens mouet se, vt passiuā est in vna die; sic media pars eius, vt mouens est mouebit se, vt passiuā est, in æquali tempore, vt puta in vna die: sed consequens est falsum: ergo falsum est, quod lapis moueat se deorsum; nec quod mola sit primum motum, sed aer est primum motum, & tunc bene apparet, quod regula Philosophi currit ibi; non hoc modo, sicut tota mola ad tantum aerem motum sit pars molæ: sed totus aer morus à mola est duplum respectu medietatis molæ, eo quod idem aer est, quod est primo motum ab vtroque, ideo medietas molæ mouebitur in duplo tempore. Et ratio est, quia virtus in tota mola est dupla ad virtutem mediæ partis; & cum idem mobile sit vtroque, sequitur, quod medietas moueret in duplo minori tempore. Dices, quod hoc est ratione resistentiæ, quia aer resistit lapidi non ratione talis proportionis.

Contra: Eodem modo resistit lapidi; & cum animal vnum duplex virtutis in æquali tempore, per æquale spatium portabit duplex onus, & tamen est æqualis resistentia, solum ergo est proportione motoris ad motum. Primo dices generans mouet lapidem.

Respondeo, per motorem essentialiter ego capio monere per se, talem enim voco motum essentialiter; qui est eius, quod per se primo mouetur; in proposito lapis non mouetur hic essentialiter, quia non per se, per se enim mouetur à generante, qui tantum dat de loco, quantum de forma, & tantum de forma, quantum de motu locali: motum ergo hoc, quod dicitur motum essentialiter, accipitur pro per se moto, & motum essentialiter necessario mouetur ab extrinseco, motum vero accidentaliter ponit vtrique moueri ad se, vnde mouendo alterum essentialiter, mouet se accidentaliter.

Alia difficultas est de aqua frigida, quæ cum fuerit calefacta remoto calefaciente redit se ipsa ad propriam frigiditatem, frigiditas ergo post calefactionem accipit nouiter esse post non esse; ergo aliquo agente illud videtur esse illam et aqua: ergo.

Respondeo, sicut dixi, quod graue mouet se, accidentaliter remouendo prohibens, sic dato, quod aqua moueat se ad frigiditatem per accidens remouendo prohibens, & hoc est intentio Commentatoris. Vbi considerandum, quod secundum eum ibi aqua sit calida per agens, puta per partes quasdam igneas, quæ sunt vapores ignei immixti per totam aquam; vbi considerandum, quod aqua, dum calefit, primo resoluitur in vaporem, & sic semper resoluendo magis, & magis; quousque fiant in ea partes igneæ, quæ impediunt eam à propria frigiditate, hoc dicit Commentator ibi, & patet per experientiam. Nam quando aqua calefit, videmus, quod immiscetur quidam fumi, & hinc quando volumus eam refrigerare, circumducimus eam ad hoc scilicet, quod euaporent fumi illi, & exhalent partes igneæ. Et hinc est, quod quando aqua bullit, aqua est frigida in fundo, & in superiore parte calidissima, & causa non est alia, nisi quia partes igneæ petunt semper superiorem partem.

A Et hæc ratio communiter assignatur à Medicis, & Philosophis. Ex hoc patet, quod secundum Commentatorem ibidem, quod sicut se habet ignis ad frigiditatem, sic aqua ad caliditatem; sicut ergo ignis non potest frigi fieri, sic nec aqua cale fieri. Ideo calefactio, quæ apparet in aqua, non est pura calefactio aquæ puræ; sed sunt quidam fumi, & vapores ignei dantes illam caliditatem, & habentes in se caliditatem illam, aqua tunc reuertitur ad frigiditatem per hunc modum, quod cessante actione ignis, partes aquæ non resolutæ agunt continue in partes illas, siue vapores igneos, quæ sunt partes illæ resolutæ, & ex tali actione vapores illi condensantur: & quanto magis condensantur, tanto frigescent, donec sint totaliter condensati & apti ad hoc, quod recipiant à partibus agentibus debitam frigiditatem, & tunc ultimo aqua secundum omnes suas partes redit ad naturalem frigiditatem; & sic totum aquæ non mouet se primo, sed primo mouens sunt partes non resolutæ; primum vero motum sunt partes resolutæ.

C Ad argumentum in oppositum, quia est communis sententia, quod idem potest esse motum a se, non tamen potest per se se mouere, sed per accidens, hoc modo, dico, quod non est illud, quod mouetur totum ens compositum physicum, & non est ibi primo motum, sed compositum, scilicet totum ens, non vero per accidens, quia vnum est subiecto cum illo. Ad Commentatorem, qui dicit, quod elementa mouent se.

Respondeo ille 3. de anima respondet, siue exponit se in vno verbo, ostendit enim ibi, quod motus elementorum assimilatur motu a se, quia mouet per formam suam, non tamen per illam mouet se per se primo, sed per accidens, licet sit valde difficile videre, quia non apparet, quomodo primo modo, cum sit vnum cum eo, quod requiritur ad hoc, quod possit se mouere moto illo.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas moueatur ab obiecto.

A D secundam questionem arguo primo, quod voluntas moueatur ab obiecto, quia quando aliquid requiritur per se ad aliquid, necessario requiritur ad illud, vt causa in alio genere (à nulla enim videtur aliquid dependere per se, nisi à causis suis) sed obiectum per se requiritur ad actum voluntatis: ergo. Dices: Requiritur vt terminus. Contra, non terminat volitionem, vt finis intra, sed extra, sed per se requiritur intra: ergo.

Confirmo, quia Commentator dicit, quod balneum in anima mouet, vt efficiens.

Dices contra: Omnis causa, sine qua non, de necessitate est causa, tamen quia sic eius absentia est causa absentię, effectus eius presentię est causa presentię eius.

Confirmo: Causa, quæ est causa tantum sine

qua non est causa tantum priuatiua, obiectum autem, ut videtur, est causa positiua.

In oppositum est, quia nullam mobile habet actum in potestate; Nam nullum mobile, ut tantum passiuum est, habet dominium sui; et agens, & actus eius, ideo enim quia agens agit, patiens patitur, non e contrario: sed secundum omnes Philosophos, voluntas habet dominium super actum, suum: ergo illa est agens suae volitionis, quia semper agens, extra quod est obiectum, non habet dominium.

Respondeo hic primo ponam opiniones: secundum mediato inter illas.

Opiniones autem sunt sex. Vna opinio est, quod mouetur ab obiecto, & haec diuiditur, quia aliqui dicunt, quod illud est phantasma; alij quod obiectum in intellectu, puta species vel intellectio.

Alia opinio, quod mouetur a se. haec autem, opiniones pater, quod sunt extremae, alia autem sunt mediae. Vna dicit, quod partim mouetur ab obiecto, partim a se, ita quod vtrumque concurrat ibi, & integrat rationem vnius totalis esse. & ista etiam bifurcatur, quia aliqui dicunt, quod totaliter mouetur ab obiecto respectu finis, sed partim ab obiecto, partim a se, eorum quae sunt ad finem. Alij vero dicunt, quod exercitium actus mouetur a ratione, & hoc modo aliquas potentias ad inquirendum de obiecto sed in finem exercitij habito obiecto ad determinationem actus mouetur ab isto. hi modi obiecti reducuntur in generali ad opinionem.

Tertia autem opinio est, quod quoad aliquam effectuationem mouetur ab obiecto, in quantum obiectum causat effectum, primo in voluntate, sed habita illa tunc voluntas mouet se ad volitionem.

Quarta opinio, ut dictum est dicit, quod ab obiecto, & a se, ut ab vna causa totali, & ambo concurrunt ut causa partialis. Et sic sunt sex opiniones in generali, duae quidem extremae, quatuor mediae. haec de primo.

De secundum videtur mihi, quod primae opiniones duae, quae sunt in extremo, sint simpliciter falsae, alia vero mediae possunt concordari, quia teneo, quod voluntas aliquo modo est causa, non tamen totalis causa. Proinde opiniones primae sunt falsae. Prima quidem, quae dicit, quod mouet se, quia nihil potest extrahere se de potentia ad actum.

Secunda vero opinio, quae dicit quod volitio essentialiter est a phantasmate vel intellectione, non video quomodo possit saluari, quod voluntas sit domina sic actus, sicut probat argumentum ad principale; non enim posset homo arbitrari libere, & libere velle, secundum illam positionem, & hoc in speciali probatur ratione tali. Quando est aliquis ordo agentium, & patientium & repatientium, si omnia agentia agunt ibi, necessitate enim & omnia patientia patiuntur necessitate, nunquam vltimum quod sequitur ad ista necessitate naturae esset, nisi necessitate naturae, quod omnino impossibile esset, vel positum, illud non esset. Ratio, quia ex necessarijs non sequitur non necessarium; Voluntas igitur, & re-

uoluntas quantumvis illa agentia, & patientia, quae praecedunt semper illud quod necessitate naturae sequitur, ad illa necessario ponitur, & non poterit non esse positum ipsis: si ergo intellectio mouet ad volitionem, & hoc necessitate naturae, cum non sit agens liberum, quantumcunque voluntas moueat prius ad praecedentes deliberationes, quia cum in toto decursu deliberatio, cum deliberatio fit, omnia agentia, & patientia agunt, & patiuntur naturaliter, necessario omnes actiones, & passionem in toto decursu illo erunt necessariae; & ideo illud, quod in fine habebitur ex eis, esset necessarium necessitate naturae. Maior istius rationis nota est, & probata, sed minor patet per te. Dicis enim, quod volitionem recipit voluntas ab obiecto, mouet tamen ad deliberationem in quantum praesente obiecto praecipit intellectui vterius deliberare, & ibi non sistere: Tunc arguo sic: Percipere deliberare, cum per se non sit nisi velle deliberare, causatur ab obiecto: ergo naturali necessitate, & per consequens deliberatio erit necessaria, & eodem modo totus decursus actuum intellectus in tota deliberatione esset necessarius, quia quodlibet est ab obiecto, & sic usque in finem deliberationis omnia praecedentia sunt necessaria: ergo iudicium, quod sequitur deliberationem, est iudicium vltimum, esset necessarium, quia deliberatio praecedens fuit necessaria.

Dices: in obiecto sic iudicatio apparent duae rationes scilicet ratio boni honesti, & turpis delectabilis. Contra: A qua illarum rationum mouebitur? non ab vtraque: ergo vel a nulla, & tunc nihil sequitur; vel a fortiori, & tunc illud quod sequitur, necessario sequitur. ideo videtur mihi, quod opiniones meae possunt concordari. Ad cuius euidentiam pono illam Conclusionem quod voluntas mouet se ad volitionem per accidens, vbi considerandum est, quod aliud est aliquid dicere motum, & aliud est determinare elicitiuum motus ad mouendum: exemplum, pono quod ego velim currere, & curram, voluntas mea certum est non elicit istum motum, sed ipsum elicit potentia motiua, & tamen voluntas determinat potentiam motiuam ad hoc, quod eliciat motum: sic etiam certum est, quod intellectus elicit intellectiorem ad eliciendum vel non eliciendum intellectiorem, ita, quod in potestate voluntatis est, quod eliciat, vel non eliciat: Tunc ad propositum dico, quod voluntas non elicit, nec causat in se volitionem, sed illa causat iudicium vltimum intellectus, tamen voluntas determinat ipsum iudicium ad hoc, quod moueat ad volitionem; vltimum enim iudicium in intellectu est aptum natum mouere ad volitionem, sed tamen non praedeterminaretur a voluntate. Dico igitur, quod volitio est ab intellectu impressione, est tamen a voluntate applicatiue, & determinatiue, non quidem quod determinet se, prima determinatio passiuata est in intellectu, quae per voluntatem determinatur ad hoc, quod agat, & ex hoc, quod voluntas dicitur agere per accidens in se, ut formetur, sic ratio quando aliquid determinat virtutem actiuam ad agere in se, determinat aliquo

aliquo modo se per accidens, & per accidens potest dici agere in se, sed voluntas determinat intellectum ad hoc, quod agat volitionem. nam intellectio non ageret, nisi determinaretur a voluntate: ergo.

Norandum autem, quod voluntas dupliciter potest dici determinare iudicium intellectus ad agere, vno modo determinando rationem in finem: conuenit enim aliquando, quod intellectui occurrit duplex ratio moris indifferenter; verbi gratia, bonum est ire ad Ecclesiam propter Dominum, & bonum est non ire propter delectationem in aliquo alio habitam, & stante tale duplici ratione in intellectu nunquam illud videre intellectus moueret ad determinatam operationem; & ideo voluntas potest determinare videre, cum ratione determinante alia dimissa, vt sic fiat iudicium determinatum in intellectu, quod bonum est ire nunc ad Ecclesiam propter Dominum, & bonum est ire propter delectationem in aliquo alio habendam, & stante illa secunda ratione in intellectu, nunquam videre intellectus moueret ad determinatam operationem, & ideo voluntas potest determinare videre cum ratione determinante alia dimissa, vt sic fiat iudicium determinatum in intellectu, quod bonum est ire nunc ad Ecclesiam propter Deum, & tunc tale iudicium mouebit ad volitionem, si tamen sit vltimate determinatum, vt statim dicam. Alio modo potest voluntas determinare iudicium intellectus, hoc modo. Vbi sciendum, quod in intellectu conuenit esse duplex iudicium, quoddam enunciatium & simplex, quod sequitur naturam rei, seu principia practica apprehensa ab intellectu, puta absolute dicendo, bonum est ire ad Ecclesiam, vel, bonum est non fornicari, quod iudicium habet luxuriosus; aliud vero iudicium est in intellectu, quod dicitur iudicium vltimatum practicum, & hoc non est iudicium & enunciatium, sed est imperatium: illud autem non habet, quod sit imperatium, & vltimate determinatum ex natura rei, nec ex aliquibus principiis in intellectu, sed hoc habet ex actiua determinatione voluntatis, quae imperat & determinat iudicium tale, & illud est videre vltimatum, quod est proprius actus prudentiae distinctus ab actu, qui est inuenire media, quod pertinet ad Eubuliam & ab actu, qui est bene sententiarum inuenta, qui est actus Synaxis, ille autem proprius est prudentiae, & vocatur praecipere 6. Ethic. & attribuitur specialiter prudentiae, quia prudentia non esset sine isto. Dato enim quod bene inuenires, bene sententiarum enunciatue, sed si non praeciperes bene, non esses prudens: hoc ergo iudicium dicitur imperatium, quod idem est, quod fac hoc, ad quod concurrunt intellectus eligendo, & voluntas determinando: Hoc inquam tale est iudicium, quod est aptum mouere ad volitionem, & in eius oppositum, eo stante non posset voluntas velle, licet bene posset determinationem eius suspendere. Primum autem iudicium, scilicet enunciatium non mouet, vnde stante eo quantumcumque perspicuo intellectu voluntas posset in oppositum ferri. Hoc ergo secundo modo voluntas determinat elicitum.

A uum volitionis ad agere, pro quanto de iudicio enunciatium facit videre praecipuum, & imperatium, quia concurret ad ipsum determinando. Hoc ergo iudicium sic determinatum a voluntate mouet per se & primo ad volitionem, & per consequens voluntas mouet se per accidens ad illam: ex quo patet quod in electione volitionis est ordo ille. Nam voluntas est primum mouens, & intellectus primum motum, & intellectio tunc est medium per se mouens, & voluntas vltimum motum, & hoc est per accidens, vt dictum est. Nec oportet ad hoc, quod voluntas determinet intellectum, quod illa determinetur passiuè prius, sed tota, & prima determinatio passiuè tantum est in intellectu: vnde voluntas, vt prima volitio determinat se ad velle actiue, nulla prima in ea determinatione passiuè, alias esset processus in infinitum.

Exemplum de hoc est de nauta, qui mouet nauem, & mouetur a navi. Nam nauta est primum mouens, absque hoc quod sit motum: nautis enim est primum motum, & tunc nautis vt mota est medium mouens, & nauta vltimum per accidens motum. Sic in proposito, voluntas mouet intellectum applicatiue, quia determinat eam ad agere, illa intellectio sic applicata mouet ad volitionem, in illam opinionem possumus conuenire opiniones iste medietas: illa enim, quae ponit, quod mouet ad exercitium actus, & mouetur ad determinationem actus ab obiecto, idem vult dicere cum ipsa; exercitium enim actus, hoc est exitus elicitiui de non agere ad agere ad tale exitum facit voluntas, quod determinat intellectum ad agere, per specificationem autem, & determinationem actus intelligo elicere illam intellectum. In illa etiam opinione posset modernus concordare, qui dicit, quod voluntas, & obiectum sunt duae causae partiales, non quod sint causalitates eiusdem ordinis, ambae elicitiuae: sed vna elicitiua, altera applicatiua & determinatiua. Et ex hoc patet, quare volitio dependet essentialiter ab utroque, quia vtrumque concurret ibi vt causa, licet non in eodem genere causalitatis, quia causatio voluntatis non est actio, alias oporteret sibi dare terminum, sed est determinatio principij actionis, quae duae causalitates sunt alterius rationis, & ad inuicem separabiles. Haec etiam est expressa mens Commentatoris 3. de anima comm. 62.

Ipse enim, & ponit illud Aristotelis, quod intellectus desiderat, & desiderium intelligit, & dicit, quod intellectus desiderat, & appetitus intelligit; & ratio est, quia intellectus cum voluntate sunt vnum mouens respectu desiderij: & etiam respectu iudicij vltimati praecipuum; & ideo ad vtrumque concurret tam intellectus, quam voluntas: ideo bene dicitur, quod intellectus desiderat, quia causalitatem habet super desiderium. Similiter dicit, quod desiderium intelligit, quia habet causalitatem super iudicium vltimatum. Vnde Commentator dicit ibi, quod appetit virtus desideratiua, quae est intellectus, & quod intellectus desiderat per scientiam, & voluntas intelligit per intellectum, nec desiderium est virtus alia ab intellectu practico. Haec non essent intelligibilia,

3. de anima comm. 62.

bilia, nisi ambo, & intellectus & voluntas, tam respectu desiderij, quam respectu iudicij, practici vitij, & integritatis rationem unius principij. Hæc etiam est opinio Aristotelis 6. Ethic. qui dicit, quod electio est appetitus intellectivus, vel intellectus appetitivus.

Sed hic sunt dubia quædam. Primo, quia intellectus videtur esse idem, quod voluntas: saltem non sunt duæ res: ergo mouet se per eandem realitatem.

Respondeo, concedo, quod eadem realitas animæ sit subiectum intellectus, & volitionis: tamen quando dicitur, quod intellectus mouet voluntatem, non debet intelligi de potentia, sed de actu, & tunc patet, quod nullum inconueniens est, quod actus intellectus existens in substantia animæ possit causare in eadem subiectiue aliquid aliud à se; sicut radius causat in aere, in quo est, calorem; subiectiue tamen ipsi animæ in causando, & hoc, quia in potestate eius est ipsam determinare ad agere. & esset simile omnino, si aer posset radium determinare ad hoc, quod ageret in se splendorem. Tunc ad formam, non sequitur, quod idem secundum rem agat in se; licet bene idem subiecto, hoc autem nullum est inconueniens, vt patet supra quæstione præcedente.

Alia difficultas est, quia voluntas non agit, nisi per actum, non enim videtur, quod voluntas aliquid agat nisi volendo; tunc quæro, quando voluntas per te determinat per intellectum ad agere in se, vt habeat volitionem; quæro per quæ actum est, per quam volitionem: non per illam met, quia idem præcederet se: ergo per aliam; de illa alia quæro, per quod accidens voluntas determinabat actum illius volitionis. & quia oportet dare, quod per alium, & sic in infinitum; vel stabitur in primo, quod voluntas à se ipsa potest habere volitionem; ad quam non determinat aliud principium elicitiuum à se. Actus enim ille, quo determinat intellectum, vel est à voluntate immediate, & habetur propositum; vel est ab intellectu, & tunc oportet, quod voluntas per alium actum determinauerit intellectum, & sic in infinitum.

Respondeo: Nullum inconueniens est, quod voluntas dicatur determinare absque formali aliquo modo quod est velle: Nam determinare est actus voluntatis actiue, & est intellectus subiectiue: non habeo ergo pro inconueniente, quod alius actus sit a voluntate in alia potentia, qui sit actus

determinatiuus, absque primo velle in voluntate elicitiue: sicut patet, quod potentia motiua determinatur à voluntate, absque hoc quod voluntas eliciat motum, absque etiam actuali volitione respectu illius motus.

Dices, Non immo voluntas determinat potentiam motiuam per suum velle.

Respondeo dico, quod nullum ibi præcedit velle. Dico enim, quod illud quo voluntas determinat potentiam motiuam, & alia huiusmodi, est illamet substantia animæ; per determinare enim non intelligo actum elicitiuum, nec actionem habentem terminum productum, sed intelligo per hoc, quod actus intellectus etiam quoad suum elici, & quoad hoc quod moueat, est in potestate animæ.

Dices: Nihil fit de indeterminato determinatum, nisi aliquo addito nouo: ergo si voluntas sit de non determinante determinans, oportet, quod hoc sit per aliquid additum voluntati.

Respondeo, hæc ratio non concludit; ita enim bene concludit contra aduersarios, quod voluntas non mouet se, quia vt mouet se ante, fuit indeterminata ad illud; mouet se ergo per aliam volitionem & actum, & sic procedatur in infinitum. Si dicis, quod non alia volitione, sed se ipsa, habeo propositum, quod per substantiam suam, vt etiam actus primus immediate determinat elicere volitionis; ergo quare sic non poterit determinare elicere intellectus?

Notandum est igitur, quod imaginatio decipit hic multos, imaginantur enim communiter loquentes in hac materia, quod actus ille determinatiuus voluntatis sit actus transiens, quod non est verum: non est enim actus productiuus, sed productiuus determinatiuus. Posset autem dici, quod voluntas determinat aliqua mediante actu voluntatis, aliqua vero immediate nullo actu voluntatis præcedente; sic determinat intellectum, quæ præcedit omnem volitionem. Tunc ad argumentum, cum dicitur, quod passiuum, vt sic non habet actiuum in sua potestate.

Respondeo, verum est, si sit pure passiuum, quomodo non est in proposito, vt ex præcedentibus patet. Et ad primum cum arguitur, quod obiectum requiritur, vt causa, concedo, vt dictum est, siue vt obiectum, tamen vt habet esse in intellectu, ita quod illa intellectio obiecti requiritur necessario, vt elicitiua.